



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ss. Martyrvm Crvciatibvs Antonii Gallonii Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri Liber

Gallonio, Antonio

Romae, 1594

De instrumentis, quibus Christi fidelium carnes Gentes discerpebant,
nempe de vngulis, vncis, & pectinibus ferreis. Capvt Qvintvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10704

*De instrumentis, quibus Christi fidelium carnes Gentes discerpe-
bant, nempe de vngulis, vncis, & pe-
ctinibus ferreis.*

CAPVT QVINTVM.

TRibus distinctis instrumentis dæmonum cultui dediti (si-
cuti quamplurima martyrum Acta testantur) Christianos
excarnificabant, vngulis nimirum, vncis, & pectinibus ferreis.
Primi generis horum mentionem faciunt Tertullianus multis in
locis, & præcipue lib. aduersus Gnosticos cap. 1. his verbis: Alios
ignis, alios gladius, alios bestię Christianos probauerunt; alij
fustibus interim, & vngulis insuper degustata martyria.] & in A-
polog. aduersus Gentes cap. 12. Crucibus & stipitibus impo-
nitis Christianos. Quod simulacrum non prius argilla defor-
mat, cruci & stipiti superstructa? In patibulo primum corpus
Dei vestri dedicatur, vngulis deraditis latera Christianorum.]
& cap. 30. Vngulæ fodiant, cruces suspendant] & quæ sequun-
tur. Cyprianus ad Donatum epist. 2. Hasta, inquit, & gla-
dius, & carnifex præsto est, vngula effodiens.] & sermone de
lapsis: Nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet.] Gre-
gorius Nyssenus in B. Gregorij Thaumaturgi vita, Ligno, ait,
erant erecta, in quibus eorum extensa, qui persistebant, corpo-
ra, horrendis laniabantur vngulis.] S. Augustinus epist. 158.
Quando habet tantorum scelerum confessionem, non extenden-
te equuleo, non sulcantibus vngulis.] & B. Hieronymus epist.
ad Innoc. 49. Cum liuidas, inquit, carnes vngula cruenta pul-
saret, & sulcatis lateribus, dolor quæreret veritatem.] & paulo
inferius: Vtrumque latus (adiicit) carnifex fodit] scilicet vn-
gulis. Prudentius in Romano:

Costas bisulcis execandas vngulis.] paulo post:

Quam si cruenta membra carpant vngulæ.] & peristeph. 1.

Ille virgas, secures, & bisulcas vngulas.] & 5.

Tormenta, carcer, vngula.]

Erant vngulæ (sicut indicat illa, quæ in hunc vsque diem in ba-

R

filica

Vngulæ, quid.

filica Vaticana inter sanctorum reliquias asseruatur, a nobis licet indignis visa, & vt par erat, venerata, & osculata) genus quoddam forcipis ferreae fabricatae eo modo, quo iam explicaturi sumus.

Vngulæ quomodo fabricatæ.

Vngularum proprietates.

Acta S. Papi Menolog. 17.

Kalend. April.

Petri Sur. 1.

Clementis idem lib. eod.

Theophili idem

lib. predicto, vbi

etiam S. Theodori

Acta describit.

SS. Maurij, &

sociorum Sur.

etiam tom. 4.

Iusta, & Rufinae

idem tom. 4.

Felicitis Sur. item

tom. eodem.

Marini Petrus

lib. 2. cap. 6.

Hilari Petrus vbi

supra.

Eulaliae nos in

hist. SS. virg.

exter.

Nestoris Sur.

tom. 1.

Epimachi idem

tom. 5.

Valeriani Petrus

lib. 8. c. 33.

Mariae idem lib.

10. c. 4.

Erasmi vetera

manuscr. & Petr.

lib. 5. c. 75.

Callinici Sur.

tom. 4.

Pelagij Petrus

lib. 7. c. 120.

Coniungebantur primum duo simul ferri frustra oblonga aliquantulum, eo prorsus modo, quo illa forcipis ferreae fabrorum connecti copulariq. solent: quorum extremae partes rotundae erant, & prope earumdem finem paululum excavaatae; quod idcirco fiebat, vt hastulae aliquae in ipsis includi atque affigi possent, ad maiorem commoditatem carnificum reos aut SS. martyres in equuleo positos, vel stipitibus affixos, vel sublime appensos discerpentium. Ostendit id fragmentum quoddam hastulae semicombustum pariter rotundum, quod ibidem fixum cernitur. In partibus vero superioribus, a coniunctione nimirum amborum frustorum ferri incipiendo, vnus palmi erant longitudinis, duorum digitorum latitudinis, exiguaeque crassitudinis, subtiles siquidem ac exiles construebantur. Porro his ferrei sex mucrones affigebantur, terni in singulis, hoc ordine seruato, vt in alterius illarum medietate duo mucrones eius ferme superficiei fixi essent, in medietate vero alterius vnus tantummodo aduersus duos; qui, si contingebat forcipes constringi, quia in frusti medio affixus erat, duobus prioribus aculeis quodammodo obuiam fiebat, atque occurfabat, per eos quasi se ipsum trajiciendo. Amplius in iisdem etiam partibus alij totidem mucrones in earum (vt ita dicam) captibus inerant, aculeorum ordine dumtaxat immutato. Vnde eueniebat, vt carnes illorum, quibus admouerentur, mucronibus illis & fodicarentur, & sulcarentur. Quocirca mirandum nulla ratione erit, si ex supra citatis auctoribus aliqui, de vngulis loquentes, illas dixerint bisulcas, illisq. tamquam earum proprium attribuerint sulcos carnibus damnatorum imprimere.

Hoc martyrij instrumento innumeri Christi milites excarnificati fuerunt, nominatim Papius, Petrus, Clemens Ancyranus, Theophilus, Theodorus, Mauritius, & socij, Iusta, Rufina, Felix, Marinus, Hilarus, Eulalia Barcinonensis, Nestor, Epimachus, Valerianus, Maria, Erasmus, Callinicus, & Pelagius.

At

*An forcipes, quæ in basilica S. Petri asseruantur, sint
scorpiones, vel vngula.*

Opinati sunt nonnulli, genus illud forcipis ferreæ, quod in basilica Vaticana inter sanctorum reliquias asseruari paulo superius ostendimus, non vngulas, sed scorpiones fuisse: at si verum nos fateri oporteat, dicimus sic sentientes toto cælo aberrare: qui enim fieri potest, vt forcipes illas scorpiones credamus, & non vngulas, cum (veluti cap. præcedenti ostendimus) virgarum nomine illi comprehenderentur, hæ autem forcipis ferreæ dentatæ? Ad hæc, illi (vt Acta martyrum, & prænotata sacra Scripturæ loca innuunt) erant antiquis vsui ad reos solum cædendos, hæ ad eosdem excarnificandos, & discerpandos. Confirmatur hoc idem; nam consideranti prædictæ forcipis qualitatem conditionemque, statim apparebit non fuisse eam ad damnatos homines verberandos fabricatam, sed ad discrucianos dumtaxat: etenim carnifici rei cædendi studio eam habenti præ manibus, ad hoc exequendum, opus illi erat, vt ambo ferri frustra simul constringeret: ex quo factum fuisset, vt ipsi mucrones, quia sic noxium excruciare non potuissent, frustra ibidem ac sine causa immissi, firmatiq. essent. His adiungimus etiam, vngularum proprium extitisse (veluti B. Augustinus atque Prudentius scriptis mandarunt) carnes delinquentium discerpere, & discerpendo sulcare. At quis iam non videat forcipem illam in S. Petri ecclesia asseruatam hoc facere optime potuisse? vngularum igitur genus erat, & non cuiuslibet alterius instrumenti.

*Forcipes, quæ in
basilica S. Petri
asseruatur, quod
nam martyrii in-
strumentum fue-
rit, ostenditur.*

De diuersis forcipibus ferreis martyrii instrumentis.

Quoniam supra reposuimus vngulas in numero forcipis ferreæ; idcirco in præsentia declarandum nobis restat, quotnam illæ fuerint, quæ in sanctorum martyrum carnificinis adhiberentur: multiplicis siquidem generis fuisse comperimus. Aliquæ erant dentatæ, quæ sex ferreis aculeis cutem martyris perforabant cū stringerentur; quæ crudeliter nimis membra carpentes, velle-

R 2 bant,

bant, vt hæ, de quibus hoc loco agimus. Aliæ ad comprimendum & contorquendū compositæ; & harū meminit Sinesius Episcopus epist. 58. cū de Andronici Præsidis immanitate pertractat, aitq. Nisi forcipe auribus apprehēdendis, & labijs obtorquendis parato instrumento.] Aliæ rursus ad incidendum; & harum Romano in Martyrolog. 6. Kal. Iulij mentio habetur his verbis: Cordubæ in Hispania natalis S. Pelagij adolescentuli, qui ob confessionem fidei iussu Abdarameni Saracenorum Regis forcipibus ferreis membratim præcisus, martyrium suum gloriose consummauit.]

Forcipes, quibus S. Ioannes attonsus fuit, asseruatur in basilica S. Ioann. in Lateran.

Ad hæc martyrij instrumenta reduci possunt forcipes illæ, quibus vtriusque sexus Christiani, potissimum vero feminae a ministris dæmonum ignominia causa tondebantur. Vide cap. 10. Actuum Ioannis Apostoli a Procoro descriptorum, & res gestas S. Faustæ virginis a Metaph. apud Lipom. 5. & Surium 1. item a Mombratio tom. similiter 1. & a Petro catalog. 8. cap. 97. & denique sanctæ Charitinæ virginis Acta a Metaphr. Lipom. 6. & Surij 5. Seruantur in hunc diem forcipes, quibus B. Ioannes Euangelista attonsus fuit, in sacrosancta basilica Lateranensi, visu & veneratione dignissima.

Modi, quibus martyres vngulis excruciantur.

Varijs modis excarnificabantur Christiani vngulis; quandoque equuleo, vel palis, aut columnis alligati; quandoque vero sublime appensi, capite etiam nonnumquam ad terram verso.

De primo alteroq. horum fidem faciunt Acta Nestoris, Marini, Theophili, Hilari, Iustæ, & Rufinæ supra citata, & Ianuarij, atque Pelagij a Petro descripta lib. 6. cap. 85. item Gregorij Thaumaturgi a B. Gregorio Nazianzeno loco superius notato, & sanctorum Mauritij & sociorum a Surio tom. 4. Idem quoque indicant quæ de stipitibus cap. 1. tractauimus.

Postremi demum modi testimonium dāt res gestæ sanctorum Epimachi, & Felicis, & aliorum supra notatorum. Si alia cupis de vngulis, lege quæ cap. 3. de fidiculis diximus.

De

De vncis martyrij instrumentis.

Meminit de vncis Cicero Philip. 1. dum ait: Vncus impactus est fugitiuo illi.] & orat. pro C. Rabirio: Nos a verberibus, ab vnco, a crucis denique terrore neque res gesta, neque acta ætas, neque nostri honores vindicabant.] Iuuenal. sat. 10. his verbis: *impactus Scianus ducitur vnco.*]

Sidonius Apollin. lib. 1. epist. 7. in fine: Vncum, inquit, & Gemonias, & laqueum per horas turbulenti carnificis perhorrescens.] Horatius lib. 1. ode 35. ad Fortunam, dum sic cecinit:

Te semper anteit seuu' necessitas,

Clauos trabales, & cuncos manu

Gestans athena: nec seuerus

Vncus abest, liquidumq. plumbum.]

Insuper de eodem Seneca lib. 3. de ira cap. 3. Cadauera quoque (scribit) trahens vnco.] Suetonius in Tiberio cap. 53. Cum ei carnifex, quasi ex Senatus auctoritate, laqueos & vnco ostentaret.] Lampridius in Commodo, acclamatum habet in Commodum, ipso mortuo: Qui Senatum occidit, vnco trahatur: Qui omnes occidit, vnco trahatur: Qui templa spoliauit, vnco trahatur.] & quæ sequuntur: sapissime namque ibi de vnco fit mentio. Item Suetonius de Vitellio scribens ait: Tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, & confectus est, & inde vnco tractus in Tiberim.] præterea de eodem etiam Ammian. Marcellinus lib. 7. his verbis: Intendebantur equulei, vncofq. parabat carnifex.] & lib. 26. Vnci, & |cruentæ quæstiones.] Prudentius peristeph. hymno 5.

Stridentibus laniatur vnco.]

Ad hæc, Acta S. Sebastiani martyris a veteribus manuscriptis, & a Surio tom. 1. recitata, vbi hæc verba leguntur: In cloaca, quæ est iuxta Circum, quære, & ibi inuenies corpus meum pendens in vnco.] Amplius de vncis res gesta etiam aliorum SS. martyrum verba faciunt, vt Platonis apud Surium tom. 4. Pontiani apud eundem tom. 1. Nicetæ apud Petrum lib. 8. cap. 70. itemque SS. Tatianæ*, Martinæ, ac Priscæ virginum Romanarum.

* De his SS. virginibus scriptum in historia nostra.

Ex

Ex his ergo iam dilucide constat, solitos fuisse veteres vncis vti, non solum ad reos excarnificandos, vel pertrahendos ad pœnas, hoc est, ad scalas Gemonias, sed etiam ad eosdem sublimè appendendos, & demum ad infames, multisq. flagitijs atque sceleribus astrictos, qui ex hac vita discessissent, trahendos in sentinas, ac sordium receptacula, vel in Tiberim. Quamobrem mirari desinamus, si de B. Sebastiano scriptum deprehendatur, fuisse eius corpus post obitum ipsius in cloacam Maximam vnco protractum: Christiani quippe a Gentilibus, tamquam viri flagitij dedecorisq. pleni, ac si in dedecore nati fuissent, habebantur. Optime igitur vnco circumscribi definitiq. potest hoc modo: Vncus, baculus est oblongus, siue hastula oblonga ab altero latere ferramentum habens incuruum, ac in se retortum; quod instrumenti genus in vsu Romanis erat ad pertrahendos damnatos ad scalas Gemonias, atque ad eosdem puniendos, & demum ad cadauera flagitiosorum hominum in publicas cloacas trahenda.

Christianos nihil faciebant Gentiles.

Vncus quid sit explicatur.

Cloaca Maxima, in qua proiectum fuit corpus S. Sebastiani martyris.

De martyribus vnco excruciatjs, vel ad sordium receptacula protractjs.

Hoc instrumenti genere excarnificati fuerunt Plato, Pontianus, Martina, Tatiana, Prisca, quorum omnium supra mentionem fecimus: eodem & Niceta appensus, & cadaver S. Sebastiani martyris in cloacam Maximam tractum.

Modi, quibus sancti martyres vnco torquebantur.

Eodem prorsus modo vnco cruciabantur Christiani, quo vngulis. ostendunt hoc (vt alia missa faciamus) Acta sanctorum Platonis atque Pontiani martyrum paulo superius notata, & quæ cap. 1. de stipitibus asseruimus.

De pectinibus ferreis martyrij instrumentis.

Ad discernendas quoque Christi fidelium carnes ferrei pectines

ctines adhibebantur. confirmant hoc eorundem res gestæ, speciatim Blasij recitatæ a veteribus manuscriptis cum nostræ bibliothecæ, tum aliorum, Tatianæ virginis descriptæ a nobis in historia nostra SS. Virginum Romanarum, Febronæ a Metaphr. Surijs 3. & Lipom. 5. Iulittæ a Surio tom. similiter 3. Aquilæ a Menologio 13. Kal. Iunij, Barbaræ virginis a veteribus nostræ bibliothecæ codicibus manu exaratis, & a Surio tom. 6. & plurimum aliorum, quorum singula nomina solus Deus scit. Similes erant hi pectines, sicut nomen, vsusque illorum indicant, & denique quidam qui in peruetustis S. Blasij imaginibus picti cernuntur, a veterum exemplaribus (vt docti viri opinantur) desumpti; similes, inquam, hi erant pectinibus illis, quibus lana pecti solet.

*Pectines ferrei
quomodo cernuntur.*

Affigebatur his ferreis pectinibus hastula quædam conuenientis longitudinis, non secus ac vngulis fieret: his enim martyres etiã excarnificabantur. Tria igitur erant instrumenta ad discerpendas sanctorum martyrum carnes fabricata, vngulæ videlicet, vncus, ac pectines ferrei. Quod vero attinet ad modum, quo martyres pectinibus dilacerabantur, sciri conuenit eo prorsus his fuisse sanctos martyrio affectos, quo vngulis afficiebantur.

De testaceis fragmentis, quibus carnes sanctorum dilaniabantur.

Christianis nonnumquam maioris crudelitatis studio carnes testaceis fragmentis discerpebantur; cuius rei gratia, dudum notatis instrumentis non solum aliquando latera eorum dilaniabantur, sicuti latronibus fiebat, sed etiam venter, femora, ac tibiæ. Audiamus, si placet, Eusebium, qui oculatus testis tantæ immanitatis rabiem aliqua ex parte suæ histor. lib. 8. cap. 9. indicauit his verbis:


Apud Thebaida vero omnem narrationem superat exercitata crudelitas: pro vngulis testas abhibebant tortores, quibus totum corpus eorūque lacerabant, donec carnis eraderent cutem.] & cap. 10. Iam vero vngulis exarari, vsitatum, ac leue ducebatur. quod tamen supplicij genus si cui fuisset adhibitum, non (vt

latro-

latronibus & homicidis solet) latera solum fodiebantur, sed & venter etiam, & femora, & tibiæ; denique vsque ad vngues vngula penetrabat.] hæc ille.

Extendebantur sancti ad quartum & quintum foramen.

Non contenti diaboli ministri prædictis tormentis, quibus Christi seruos afficiebant; excogitabant in dies, ipsorum cruciandorum gratia, noua alia crudelitatis & supplicij genera adinuenire; & quamuis adinuenierint multa, nunquam tamen ipsis consequi potuerunt, vt debilitaretur, vel frangeretur diuina virtus Christianorum; immo fiebat, vt confirmaretur magis, magisq. clarissimis victorijs illustraretur. Tyrannorum quippe immanitas excruciare atque excarnificare illorum corpora potuit, animos vero ipsos cælesti virtute præsidioq. munitos expugnare, aut labefactare nequaquam potuit. O felicia igitur illa tempora, ac beata, o felices mortales illos, quorum talis tantaq. exitit virtus, vt pueros, infantes etiam, qui tunc vitam agebant, deterrere tormenta quantumuis grauiâ nequaquam potuerint: dilaniabantur fortissimi Christi athletæ vngulis, aut flagellis; postea ad intensiorem eorum cruciatum inuenere principes tenebrarum (veluti scribit Euseb. histor. lib. 5. cap. 1. lib. 6. cap. 32. & lib. 8. cap. 11. & 14.) vt vi ad quartum vel quintum foramen plagis, verberibusq. pleni distenderentur. Quod quidem cum factum esset, licet maximus illis inesset dolor, murmur tamen nullum (sicuti Ecclesia canit) nullaq. querimonia resonabat: corde namque tacito mentes illæ bene consciæ patientiam conseruabant. Si plura tibi de hoc tormenti genere scire placeat, vide quæ supra cap. 3. notauimus, ostendentes equuleum a compedibus fuisse distinctum: ibi enim multa ad hanc rem spectantia comperies.




A Vngula.

B Vncus.

C Ferrei pectines.

His instrumentis sancti martyres discerpebantur.



A. Knecht
B. Knecht
C. Knecht
Hilf mir die Schrift zu lesen und zu verstehen.

2